B. N. C.
FIRENZE
1034
39

1034.39

IX
GROT
157

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1034
33

~~VIII~~ IX

GROTI

Ex legato D. Equitis Antonij

Francisci Marmi

A I.

ORATIO ALOISII GROTI CAECI HADRIENSIS PVBLICE HABITA IN FLORENTISSIMO GYMNASIO BONONIENSI IN AVSPICIIS

Studii quartodecimo Cal. Nouēb.

M D L X X.

BONONIAE,

Apud Alexandrum Benacium.

M D L X X.

Approbante Sancta Inquiſitione.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

ORATIO ALOISII GROTI CAECI HADRIENSIS PVBLICE HABITA IN FLORENTISSIMO GYMNASIO BONONIENSI IN AVSPICIIS

Studii quartodecimo Cal. Nouẽb.

M D L X X.

103439

BONONIAE,

Apud Alexandrum Benacium.

M D L X X.

Approbante Sancta Inquiſitione.

ALOISIVS GROTVS CAECVS HADRIENSIS

MAGNIFICO, ATQ. ILLVSTRI EQVITI ANTONIO VOLTAE.

ET merita tua, & debita mea, & ipſa poſcit oratio, Eques Illuſtris, vt hanc, munificētiæ erga me tuæ, & obſeruātiæ erga te meæ teſtem tibi dicatam offeram. quum igitur hanc æditurus ſim (ut Gymnaſiarchis, qui eā mihi demandarunt, abſentibus qui non audierunt, & præſentibus qui vel auditam adhuc, & crebriùs, & pertinaciùs in dies efflagitant ſatisfaciam) hanc tibi ſponte, immò coactè (cogunt enim virtutes tuæ, deſideria mea, & conſilia ſimul aliena) offero, nō tua poſthac erga me officia venaturus, ſed pro tuis antehac in me beneficiis aliquas tibi gratias habiturus. non ut oratio mea tuam illuſtret dignitatem, ſed ut dignitas tua meam illuſtret orationem. non ut te ad ſtudia cum aliis incitem, ſed vt iam incitati, ac feſtinantis propoſitum cœptumq; corroborem, & cōmendem. hac oblatione fiet, ut & tibi, & mihi, & orationi laudes parentur. tibi, quem homines in exteris regionibus nati, & (quamuis capti lumine) ſplēdorem tuum contemplantes honorent. mihi, qui elegans ſpectator, & æquus æſtimator appaream,

quum hanc orationem, quæ præcipuè nobiles, & diſcēdi cupidos adoloſcentes alloquitur, tibi, & maximæ ſpei, & optimæ indolis, & altiſsimi animi, & excellentis ingenii, & Illuſtriſsimæ nobilitatis adoleſcentulo conſecrem. orationi, quæ tua protectione munita, & tuo fulta præſidio nullius gentis formidet aſpectum. et ſi fortè ab omnibus negligatur, primum ad dominum ſecura refugiat. qui patrem amat, filios quoq; amet neceſſe eſt. te igitur, qui me tantoperè amas, partum hunc meum ſpero pariter amaturum. verùm quid multis? qui ſua non amet, agnoſco neminem, hoc igitur munus (dicam melius) munuſculum meum, immò iam tuum, accipe, vel potius excipe. et quod amplitudo meretur tua, quod gratitudo debet mea, in quod orationis vota ſuſpirant, & cui vniuerſi huius florentiſsimi Gymnaſij Bononienſis conſenſus applaudet, ne cōtemne, ſed orationem, & orationis authorem hilari vultu, ac voluntate, ut tuos collige, & collectos perpetuò dilige. Ac vale. Bononiæ quarto nonas Nouembres. M D L X X.

ORATIO ALOISII GROTI CAECI Hadrienſis ab eo publicè habita in Gymnaſio Bononienſi in auſpicijs Studij, quartodecimo Cal. Nouembres. M D L X X.

LAudabile profectò inſtitutum eſt, Reuerẽdiſſimi Antiſtites, Illuſtriſſimi Patres, Celeberrimi Doctores, & ſtudioſiſſimi adoleſcentes, ut, quemadmodum, poſcente neceſſitate, tubarum ſonitu milites cientur in bellum; ita quotannis in ſtudij renaſcentis infantia oratione graui, tubas effingente, iuuentus inflammetur ad ſtudia. quod mihi hoc anno Excellens Gymnaſii huius Prorector unà cum Magnificis Conſiliariis demandauit officium, non quò putet celeres equos, & ſua iam ſponte ſatis incitatos calcaribus indigere, ſed nè bene inſtitutæ, & in longam diem cuſtoditæ conſuetudinis ordo turbetur. nec quò ſperet, me tanto ponderi ſuffectūrũ, uerùm ego longè diuerſa ratione, atq; alii antehac oratores electus ſum. alii, ut cohortarentur uerbo, & mouerent exẽplo. ego, quanquam nec meis uerbis ueſtris in cordibus deſiderii ſcintillas excudere; nec exemplo meo animis ueſtris æmulationis aculeos poſſum infigere (utpotè cui nullus in orando eſt apparatus, & in quo nulla monſtratur ſapientiæ ſpecies) tamen in hoc opus uocor, ſicut ebrii in conuiuia puerorum admittebantur, ut pueri, ebriorum deformitatem ſpectantes, uinum horrerent. ita uos, nobiliſſimi tota ex Europa diſcipuli, inſcientiam meam perſpicientes, uobiſq; proſpicientes, prohemium.

proſpicientes,

ſpicientes, eius ueſtigia pede celeri fugere incipiatis: ego autem, quum ſapientia prodeſſe nequeam; ignorantia profuiſſe lætabor, proteſtans interea ſcientiarum nullam me laudaturum. eram cauſaturus, quia plus millies iam hic earum laudes repoſitæ ſunt, uel quia omnes laudare, impoſſibile, aliquot, prolixum, unam tantùm, iniuſtum. Sed, ut fictarum excuſationum inuolucra miſſa faciam; & uerum libera uoce confitear; nullam idcirco celebro, quia nullam profiteor, nullam calleo, nullam didici, nullam intellexi, nullam audiui. abſit, ut de his glorier, quorum mihi facultas deeſt: nec me fugit, ut quiuis alius (quanquam ſapiens, quanquam eloquens) in lucis tantæ ſpeculo, in tantæ maieſtatis aſpectu, in huius nouarum Athenarum urbis ſtudio, immò in totius terrarum orbis Theatro, coram Italiæ ſapientibus, Græciæ Philoſophis, Indiæ Gymnoſophiſtis, Perſiæ magis, Aſſyriæ Chaldeis, Aegypti Sacerdotibus, terræ legislatoribus, Cæli ſyderibus, & his dignioribus uerba facturus; & Scientias omnes ex uniuerſo terræ Mariſq; ſinu in exiguo ſpatio collectas intuens; rubeſceret, ac palleret. mihi autem (licet nullis artibus imbuto, nulla ſapientia inſtructo) neutrum accidit. cur? quia noui nulla in expectatione eſſe me. ecquæ de Cæco in Hadriæ uallibus nato, ac nutrito apud uos concitari poterat expectatio? immò gaudeo tenue mihi datum ingenium: quoniam ueritatem allaturus ſum, quæ nuda proferri amat; nuda uideri deſiderat, & peregrinis facundiæ pigmentis fucata corrumpitur: ueſtri uos officii monebo paucis, & uerè tubicinis fungar officio, alios accedentis ad arma, quæ ſæpius ab ipſo, nedũ exerceri, ſed ne geri quidem exploratum eſt: uos Deucalionis munere fungi dignamini. ipſe Lapides mollia in membra

manu

manu mutabat ſua, uos ſaxeâ aſperrimaq; uerba noſtra in roſeam, ac ſuauem orationem ueſtra uertite humanitate. Cogitanti mihi, quodnam ſit magnum inter homines bonum, id ſcientiam eſſe, facilè conſtat. quod lucidius eſt, quam, ut conquiſitis argumentorum luminibus illuſtretur. nam quum triplex detur animarum gradus, uegetatiuus ſcilicet, ſenſitiuus, ac intellectiuus; uegetatiua cum plantis uitam accipimus, ſenſitiua cum brutis uoluptatibus fruimur, intellectiua cum Angelis uirtute ditamur. hanc uerò propriam hominis, & cæteris excellentiorem eſſe quum nemo hæſitet; obiectum quoq;, circà quem intellectiua uerſatur; quo delectatur, & paſcitur; cæteris eſſe excellentiorem nemo hæſitabit: præterea quum in tribus à brutorum genere ſpecies dignoſcatur humana; facie ſcilicet, oratione, ac ratione; non deſunt bruta (quales pinguntur Sirenes, ac Satyri) humano uultu decora. nec deſunt, qui animalia inter ſe ueras audire & reddere uoces putent, ut de Britannico illo renunciatum eſt, qui Lupos abſentes uocabat, ab eis reſponſum accipiebat, et probante ſucceſſu reddebat aſtãtibus; nec deſunt animalia, quorũ uox, humana arte formata, et pertinaci exculta ſtudio in caueis hominem ſonet, qualem accepimus à Cælio Pſittacũ, plurima uerbis humanis enunciantem: quæ quum ita ſint, relinquitur, ut ſola ratione ab animalibus dignoſcamur. hæc autẽ ratio, niſi lumẽ à ſcientiis mutuetur, talis profectò eſt, qualis Luna Solis lumine uiduata. & quò propiùs ad ſcientiam accedit, eò fit (huius igne calefacta, & huius radiis illuminata) perfectior. immò quantò per rationem animalibus præſtat homo, tantò per ſcientiam inſciis hominibus præſtat ſapiens: inſuper, quum tria ſint hominis bona, externa (ut genus, proles, amicitiæ, diuitiæ, uoluptas, honor

Narratio.

Gradus animarum.

In quibus homo differat à brutis.

Hominum bona.

nor) corporis (ut pulchritudo, fortitudo, ualetudo, pernicitas, agilitas, leuitas) & animi (ut uirtutes, ac ſcientiæ) externa, et corporis amitti poſſunt. quocirca timore poſſidentur, & dolore amittuntur. animi uero bona amitti nequeũt. in quibus poſſidendis timor, & quorũ amiſſorum dolor nos iccirco non agitat. genus degeneres actus denigrant. prolẽ, & amicitias mors, odium, abſentia, & mille huiuſmodi caſus eripiunt. diuitias fures ſubducunt, prædones adimunt, Lupi auferunt, tyranni rapiunt, bella diripiunt, tinea rodit, ærugo depaſcitur, pelagus uorat, uenti decutiunt, grãdo quatit, fulmina concremant, terræmotus demolitur. uoluptas breuis, ac fugax diuturnam, & ſtabilem pœnitentiã rubore perfuſam, & dolore grauem poſt ſe trahit. honor, qui uel magiſtratuum, uel opum gratia nobis impenditur, collapſo fundamento, corruat neceſſe eſt. corporis dotes, uel tenuiſſima febris imminuit, uel (ſi febris parcit) nõ parcit ſeniũ. ſi ſenium quoq; miſeretur, mors ſoluit omnia. at ſcientia cõdita in animo, condita moribus, arbitratu ſuo ſcrutetur fures, minentur tyranni, diſcutiant milites, tremat terra, tonet cælum, ferueat æquor, fremat aer, flagret ignis, rugiat mors, mugiat Aeolus, pluat Iris, grandinet Iuno, fulminet Iupiter, fractus illabatur Orbis; nõ pallet, nec pauet. Sed incõcuſſam, & impauidã ferient ruinæ. diuitiæ de terra ſunt, corporeæ, materia cõſtructæ, fragiles, Mãmonæ filiæ. uirtus de Cælo eſt, incorporea, inuiſibilis, immortalis, Dei filia. hinc ab Iouis Capite natam Pallada canunt Vates. ſi diuitias diffundis, diuiduntur. ſi diſtribuis, dilabuntur. ſi communicas, diminuuntur. at ſcientia, ſparſa, colligitur. erogata, reuertitur. publicata, ſuſcipit incrementum: ſi neſciens

ſciret,

ſciret, ſciret, plus eſſe parum, quod doctus ſcit, quàm multú, quod diues poßidet: tam uita ſapientis, quàm diuitis mors optatur: ſi de aurato incedis habitu, precioſiorem ueſtem induunt roſæ, ac lilia. ſi corpus habes, habent & plantæ. ſi uoluntarium habes impetum, habent & uermes. ſi tibi perſpicax uiſus, perſpicacior aquilæ, ac lynci. ſi acutus auditus, acutior apro & anſeri. ſi ſagax odoratus, ſagacior uulturi & cani. ſi excellens guſtus, excellentior ſimiæ ac protogeuſti. ſi potens tactus, potentior araneæ ac ſerpentibus. ſi diues es, ditior terra. ſi pulcher, pulchrior pauo. ſi fortis, fortior leo. ſi ſanus, ſanior Phœnix. ſi uiuax, uiuacior cornix. ſi pernix, pernicior lepus. ſi agilis, agilior capreolus. ſi leuis, leuior auis. at ſi ſapiens, te uincit nemo, te mirantur & uenerantur omnes. tunc te ab animalibus ſeiunxiſti, à uulgo ſeceſſiſti, bonú tuum percepiſti, naturam tuam perfeciſti, finem tuum attigiſti, fœlicitatem tuam impleuiſti:

Animalia quæ nos externis, ſenſibus vincunt.

Si corpus humanum habitaret, Platone teſte, Scientia, in ſui amorem omnes alliceret. nec magis idæo placuit arbitro, facies laudata Tyndaridis, quàm ſcientia eſſet placitura ſpectantibus. at quum corpore careat, ego ſaltem (quanquam nec Zeuxis, nec Apelles) ſcientiæ picturam promere ſtatui: ante me nemo pinxit, poſt me, et melius me alii fortaſſe pingent. aures ueſtræ, tabulæ. uox mea, color. lingua mea, pennicillum ſit. iam tollantur aulæa, iam picta efferatur ſcientia. Sydereos crines, humanum caput, porphyriacam faciem, lyncæos oculos, leporinas aures, cerea labia, melleam linguam, argenteum pectus, marmoreos humeros, arborea brachia, ſmaragdinas manus, eburneam corpus, adamantina crura, plumbeos pedes habet. aſtra uertice ſupereminet, altero mundum, ac fortunam, altero acheronta, et in-

Scientiæ pulchritudo.

Scientiæ pictura.

uidiam pede premit, Oriēti faciem, Occidenti tergum uertit. dextera arcticum, læua antarcticum tangit, capite lauream, ore oliuam, lingua frenum, humeris columnas herculeas, altera ſpeculum, altera palmam palma gerit. crinita, ſpecioſa, aurita, centocula, facunda, ſobria, fœcunda; ambidextera, per prudentiam uenturi præſcia, ſibi ipſi conſcia, nullius inſcia, ſtuporis neſcia. eius pater, ſtudium. eius mater, ſollicitudo: nutrix, exercitatio: cuſtos, memoria. comes, honor: germana, gloria eſt. prudentia duce, præſens uidet,

Sciētiæ officia, & beneficia. *futurum præuidet, utriq; prouidet, nulli inuidet. fundat urbes, reformat mores, abſoluit prælia, ferit fœdera, firmat inducias, conſeruat paces. fert in dubiis conſilium, in periculis auxilium, in anguſtiis ſolatium, in neceſſitate uirtutem, in aduerſitate patientiam, in proſperitate modeſtiam. dat uiro perfectionem, mulieri ſingularitatem, puero ſpem, iuueni fructum, ſeni ornamentum, prælato gloriam, principi iuſtitiā, populo commoda. pro nobis, pro parentibus, pro cognatis, pro affinibus, pro amicis, pro cōciuibus, pro patria, pro exteris, intus, foris, domi, extra, in pace, in bello, in ocio, in negocio, quocunq; loco, tēpore, ſtatu, perpetuo parata. huius*

Qui amore ſciētiæ flagrarunt. *amore Anaxagoras rura, Plato patriam, Crates aurum, Democritus oculos, Salomon omnia ſpernit ac deſerit: O ſcientia ſemper magis magiſq; laudanda, nunquam ſuper ſatiſuè laudata. neſcio, quo fieri pacto poſſit, ut quis laudet te ſine te. accipe pro effectu animum, pro opere deſiderium. nec doleas. namq; ubi deeſt laudātis ingenium, ſupplet audientis corona prudentiæ.*

Scientiæ laus. *Virtus eſt tanquam gemma in anulis, flos in herbis, ſol in cælo, flos nūquam langueſcens, fons nunquam areſcens, mons nubes deſpiciens, forma ſemper manens, aurora ſurgens, luna præfulgens, ſol, qui fortunæ*

impreſſiones

*impreſſiones euincit, qui defectum non patitur, qui neſcit oc-
caſum. immò ſole clarior. nam cæci, qui ſolis iubar non ui-
dent, ſcientiæ nitorem intuentur. hæc eſt ſpes infantiæ, deli-
tium pueritiæ, moderamen adoleſcentiæ, fulgor iuuentutis,
fundamentum uirilitatis, excellentia ſenectutis, honor de-
crepitatis, ſolamen mortis, et perpetua poſt mortem uita. hæc
eſt propria hæreditas noſtra, quæ nec à patribus noſtris no-
bis, nec à nobis filiis noſtris legari poteſt. nec, illis, aut nobis
abinteſtatò decedentibus, in poſteros cadit. marte noſtro ſe-
mel paratur, ſæpe probatur, ſemper poſſidetur, nunquã amit
titur, nullo loco dimittitur, nulli hæredi tranſmittitur, nulli
poteſtati ſummittitur, nulli depoſitario committitur, uolẽti,
& laboranti promittitur. hæc illud patrimonium eſt, quod
ſecum portans Philoſophus ille, qui cadentis patriæ ſolum
fugiebat, omnia ſua ſecum portare dicebat; hæc illa dos eſt,
quam Sappho Phaoni suo daturam ſe ſpondebat. ſanitas us
que ad infirmitatẽ, uoluptas usq; ad ægritudinem, medicina
usq; ad extremum, uita usq; ad mortem, familia usq; ad lo-
culum, amicitiæ usq; ad templum, diuitiæ usq; ad tumulum
nos comitantur. at uirtus tumulum nobiſcum ingreditur.
immò nos educit tumulo, ſecumq́; uiuos retinens, docta per
ora uirũ circumfert. quod ſi uos uirtutis ipsius pulchritudo
non attrahit, neceſſitas ſaltèm trahat. Et quoniam de legi-
bus præcipuè ſumus acturi; quæ ius unicuiq; ſuũ tribuunt;
laudem ſuam unicuiq; ſcientiæ tribuamus, & pictorem imi-
temur, qui ex aliquot corporibus nudis unicum formauit uni
cum: nonne igitur eſt neceſſaria Grammatica, rectè loquen-
di, et rectè ſcribẽdi magiſtra? quid homini familiarius, quàm
loqui, & ſcribere? Quid probroſius, quàm perperam ſcri-
bere, aut loqui? huius artis miniſterio iuxta cuiusq; idioma-*

Scientiarũ neceſsitas, & primum grammaticæ.

tis uocem unicuiq; corpori, aut rei, propria, aut communia uocabula, unicuiq; actioni, aut paſsioni decētia uerba, unicuiq; mentis affectui congruas interiectiones, unicuiq; ſermonis catenæ opportunas coniunctiones, & unicuiq; ſententiæ proprias orationis partes aptamus. de huius artis neceſsitate illos percontemur ægyptios, quibus, inconditis hieroglyphicorū mentis ſententias opus ambagibus ænigmatum ſuæ pingere

Logicæ.

erat: Nonne eſt neceſſaria Logica, quæ rem uniuerſam in partes diuidit, latentem definit, ambiguam diſtinguit? quæ uerum à falſo, conſentaneum à repugnante, & conſequens ab antecedente ſecernit? quæ per terminos ad propoſitiones, per propoſitiones ad argumenta, per argumenta ad rationes, per rationes ad diſputationem, & per diſputationē ad ipſius rei cognitionem ſibi aditum patefacit? quid rationali creaturæ magis proprium, quàm rationes perſcrutari? quod eſt uerius humani intellectus officium, quam ueritatem à falſitate dignoſcere?

Rhetoricæ.

Nonne eſt neceſſaria Rhetorica, digna laudans, indigna improbans, hortans ad honeſta, dehortans ab inhoneſtis, nocentiam accuſans, & innocentiam protegens? quæ dicenda inuenit, inuenta diſponit, diſpoſita eloquitur, quæ eſt elocuta pronuncia, pronuncianda tradit memoriæ. legationes abſoluens, exarans epiſtolas, beneuolentiā captans, docilitatem præmittens, attentionem parans, diſcidentes concilians, mæſtis condolens, lætis gratulans, errātes corrigens, neſciis conſulens, afflictos conſolans, geſta deſcribens, dicta iuſtificans, & modò exercituum robur, ac uires ad cruenta, & horrida arma erigens, modò ad lætiſsimū pacis ſanctiſsimæ ſinum, quaſi ad amenisſimam delitiarum

Arithmeticæ.

paradiſum alliciens: Nonne eſt neceſſaria Arithmetica, quæ numerationis, additionis, ſubtractionis, multiplicationis, diuiſionis,

diuiſionis, & progreſsionis oſtendit uiam, nec tantùm uſua-
les, ſed & formales, & rationales numeros, & per numeros
profunda myſteria? Nõne ē neceſſaria Geometria, ſine qua Geometriæ.
Pictura, Statuaria, Architectura, Agricultura, & (ut pau-
cis cõplectar) artes mechanicæ penè omnes illaudatæ cade-
rent, et ocioſæ iacerent? Nõne ſunt neceſſariæ Muſica, quæ Muſicæ.
ſonorum, et cantuum rationem auribus iudicioq; perpendit,
et Aſtronomia, quæ tempeſtatum, ſerenitatum, & eclipſiũ Aſtronomiæ.
tempora, ſignorum ortus occaſuſq; cõſiderat? Nonne eſt ne- philoſophiæ.
ceſſaria Philoſophia, uitæ dux, uirtutum indagatrix, et ex-
pultrix uitiorum, quæ curis animum exuit, & totum in ſoli
dæ uirtutis monimento confirmat, quæ (quod proprium hu-
mano cordi eſt deſiderium) rerum naturalium cauſſas, &
effectus aperit, & (quod proprium eſt animi noſtri decus)
eum moribus imbuit? Nonne eſt neceſſaria Medicina, infir- Medicinæ
mitatem auferens, & afferens ſanitatem, ſine qua nè uo-
luptatis gutta quidē ſupererit, citra quam chariſsima uxor
in anguſtiam, dilectiſsima ſoboles in cruciatum, & dulciſsi-
ma uita uertetur in mortē? Sed in primis eſt neceſſaria Le- neceſsitas legũ
gum prudentia, quæ rectè uiuere, & rectè mori, rectè ſe, &
rectè alios regere inſtruit: cuius officium eſt, Deũ imitari, cõ
ceſſa permittere, incõceſſa prohibere, pœnas uitiis, et præmia
parare uirtutibus. cui, poſſeſsæ dotes, hæreditates acceptæ,
rectè inſtitutæ Reſpublicæ, ac benè recta Regna accepta refe
renda ſunt. quam præpotentes terrarũ Domini, Pontificia
Beatitudo, & Imperatoria Maieſtas in filiam ſibi adopta-
runt: qua (iuxta Iuſtiniani uocem) pacis, immo pacis &
belli tempora gubernantur. hæc ſcientia fortunas, corpora
conſeruat, & animas. fortunas, dum furta prohibet. corpo-
ra, dum homicidia uetat. animas, dũ peccata caſtigat. huius

ſcientiæ

malus. cur? quia quum cæteræ artes, et bonæ, et magnæ ſint; ius cæteris, & melius; & malus eſt: cur dicitur lex? quia legenda eſt. cur dicitur ius? quia omnibus adiumento eſt. cur dicitur ſanctio? quia ſancta eſt. cur dicitur Canon? quia uiuendi regula eſt. cur hetruſca lingua dicitur ratio? quia uera uitæ noſtræ ratio eſt. cur eadem lingua dicitur ordo? quia in omni congregatione aliquis ordo eſt; & omnis ordo lex eſt. immo legis nomine cenſetur ordo. hinc legimus apud Poetas: Paſſos ſine lege capillos. uix Carthaginis fundamēta locāt, quum iura magiſtratusq; legunt, ſanctumq; ſenatum. uix Romæ fundantur muri, quum promulgantur edicta: ſacram Theologiam impuris labiis attrectare nefas. quæ ſciētia tantum à cæteris diſtat, quantum à terra cælum, & ab humanis diſtant diuina: neceſſitatem paribus ueſtigiis comitatur honeſtas. nam quid honeſtius, quàm literarum ſtudiis inſudare, magnorumq; procerū paſſibus inhærere? aſpicite Iulium Cæſarem, dextra enſem, læua calamum, capite Galeam, ſinu commentarios geſtantem, hoſtili ſanguine, ac proprio atramento ſeipſum decorantem. Auguſtum inter Poetas, uel (ut ipſe aiebat) inter lachrymas, & ſuſpiria ſedentem. Adrianum ſub extremum uitæ ſpiritum uerſiculos condentem. Marcum Antonium Imperii faſtigium aſcendentem, & uetus Philoſophi nomen retinentem. & Alexandrum ſub puluillo Achillis enſem, & Homeri libros reponentem: quod ſi tantorū hominum ueſtigiis deterremini, ſurgunt fæminæ, & primas partes præripiunt, & loca ueſtra præoccupant. harum, quibus utimur, literarum Carmenta inuentrix eſt. Hyſtrina Eripitis Scythiæ regis uxor filium Silem Grammaticam græcam, Cornelia Gracchos filios Latinā, & Dialecticā

Theologiæ laus.

Sciētiarum honeſtas.

proceres docti.

Antiquæ mulieres doctæ.

lectícam edocet. Lelii, & Q. Hortenſii filiæ patres oratores fœlici æmulantur audacia, et cultiſſimas orationes, paternam redolentes eloquentiam ædunt. Flandria fœminas habet, in Arithmetica tam abſolutas, ut ipſæ negocia foris peragant, maritis intereà ſedentibus domi. Semiramis Geometriæ ſcientiſſima Babylona coctilibus muris ambit. Lamia, qua Demetrius Rex charius habet nihil, Muſica omnes in amorem pellicit ſui. Hypathia Alexandrina Alexandriæ ludum aperit, ubi aſtronomicam facultatem publicè profitetur. Aſpaſia Periclis primùm magiſtra, deinde marita, philoſophis meretur inſeri, multis præferri, nulli poſtponi. fœminæ duæ, altera uerbis, herbis altera potens, poſt Aeſculapii obitum, ægrotis incolumitaté, et defunctis uitã medica manu miniſtrant. Dido, in Templi ſolio reſidens, iura dat legesq; uiris. Ceres altera fruges, altera leges offert manu, quò frugiferæ, ac legiferæ nomen uendicet, ut fruges, et legẽs legat, ut rura, et iura colat. nec diiudicatu facile eſt, utrũ mortalibus munus opportunius, gratiusuè fuerit. muta S, in L. aut L, in S. deinde ſeges ſonabit leges, et leges ſonabit ſeges. idem fiet, ſi retrogradis literis inuertantur. cur? quia ſeges, & leges germanæ ſunt. uel quia parentis eiuſdem filiæ, uel quia ex legibus colliguntur grana, uel quia ſicut ſeges per uictum conſeruat indiuidua, ita leges per iuſtitiã cõſeruant omnia. quòd ſi fœminis quoq; palmam offerre non

Animalia quæ liberales artes Callere uidentur.

pudet, pudeat animalium, quæ (licet non ſint) ſcientiis tamen omnibus uidentur prædita. Grammaticam ſuam habere, & callere uidentur, quod ſuperius tactum eſt. & ſi noto nobis idiomate loquerentur, ſunt qui credant, inter ea logicos, & oratores nos pariter audituros. Arithmeticã profiteri uidentur. nõ plus, nec minus quinq; ouis incubitura pa-

rit

rit hirundo. quod edidit ouum ter luſtrat gallina. gallus (niſi temporis mutatio legem frangat) in naturali die ſepties canit. Geometriam uidentur noſſe, ſi cornicum, hirũdinum, & ueſparum nidos intueamur. Muſicam uidentur ſcire, ſi acanthidibus, luſciniis, & oloribus aures admoueamus. quæ uerò ſunt ſerenitatum, aut tempeſtatum ueriora prognoſtica, quàm quæ ab auibus, ab inſectis, & à quadrupedibus nunciãtur? nonne moralis philoſophiæ lumen retinere uidetur, quum à philoſophis mittamur ad animalia, ut ab eis uirtutum diſcamus exempla? quot uerò medicas herbas, & fontes hominem docuere? teſtis Bononia, quæ ſalubria Porrectæ balnea boue præmonſtrãte cognouit. nonne leges ſuas, ſuos Duces ſuasq; Respublicas apes, & formicæ conſtituiſſe uidentur? utiliora quidem ſunt ad terræ cultum iumenta, quàm ad reip. beneficium ignorantes. ouis dat lac, quod coagulemus, lanam, qua operiamur, membranam, in qua ſcribamus, agnos, quibus ueſcamur, & manſuetudinis exemplum, quod imitemur. Bos uiuus terram fodit, ſemen tegit, currum trahit. extinctus dat carnem, quam edamus, & corium, quo tegamur. plantæ quoq; dant ad umbrã frondes, ad ornatum flores, ad eſum fructus, ad ignem ramos, ad opera corticem, ad ædificia truncos. at literarum expers, quid aliud, quàm pondus & puluis, quàm fimus & fumus eſt? Honeſtati accedit utilitas. nam (ut cæteras omittã artes, tum quia breui ſuum audient laudatorem, eas ditiore uena, & ſtilo cultiore laudaturum, tum quia ego (ut hodiẽ in hoc ueſtro Bononienſi) ita abhinc ſexennium in Ferrarienſi gymnaſio, & publicè, & prolixius fortaſſè, quàm par erat, eas omnes propriis laudibus proſecutus ſum) iuriſperitia tres moralis philoſophiæ partes complexa, nos, domos

porrectæ aquę quomodò inuentę.

Scientiarum vtilitas.

noſtras, urbes, prouincias, regna, imperia, & totum deniq; terræ ambitum moderatur. nam quid eſt Lex, niſi Rex inanimatus? quid eſt Rex, niſi Lex animata? legem tanquam Deorum nunciam, & hominum Imperatricē, cæli donum ac bonum, terræ præſidium ac ſubſidium cæteræ comitantur artes. quemadmodū & uos cæterarum artium profeſſores, legibus parère, à Magiſtratibus conduci, & munerari non dedignamini. legum utilitatibus detrahenti os obſtruet urbis huius fœlicitas, quæ primogenita Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filia, ſanctarum legum obſeruantiſſima, Piiſſimo ſubiecta Pontifici, et ab integerrimo ac uigilantiſſimo recta Legato, ad fœlicitatis culmen pertingit. hinc Bononiæ nomen aſciuit ſibi: quod quæ bona ſunt omnia, in ea ſint: uel quod bona ſint omnia, quæ in ea ſunt: hinc Felſinæ uocabulum eſt adepta: quod ſine fele ſit. hoc eſt, tota dulcis, mitis tota, nihil amaritudinis, acredinis retineat nihil. hanc urbem, pace oblaturi gentibus, et de ſummis rebus, fidei, aut concordiæ Chriſtianæ conducentibus acturi Pontifices, & Imperatores adeunt. hæc urbs, quum intelligeret, ſummos Pontifices Petro, & eius naui regendæ ſuccedere; quum ipſa quoque nauis referat ſpeciem; tanto nautæ ſe pariter tradidit dirigendam. hic ſedem Mars, templum Pallas, Pindum Muſæ, lancem Aſtræa, oliuam Pax, cornu Copia, quietem Pōtifices, coronam Imperatores, pacem gentes, ueram Religionem populi, literas nationes, prudentiam omnes inueniunt. Thebæ armis decoratorum, Bononia literis armatorum hominum ſegetem parit. Aſcra ſemel, Bononia ſemper Muſas & ſuſtinet & contemplatur. Tyberis paci, Thermodoon bello, fœminas ſpectauit idoneas. at aquæ exiguus, gloria uero eximius Rhenus hic fœminas ad pacem, & ad bellum,

Legis definitio.

Fœlicitas vrbis Bononienſis:

Bononia vnde dicta.

Cur dicta Felſina.

Laus Bononiæ

lum, ad literas, & ad arma natas uix numerat. de quarum Illuſtrium fœminarum laudibus, niſi, aut hic, aut alibi, aut citò, aut ſerò, aut hac, aut alia lingua, aut ſoluta, aut aſtricta oratione ſermonem habeam: mihi certè, & linguam ingratam, & uitam eſſe acerbam putabo. mitto huius urbis conditores, & inſtauratores. hæc enim à lectiſſima colligun tur Hiſtoria, quæ ab Excellentiſſ. Sigonio texitur. quem Hiſtoriarum ærarium, antiquitatis oraculum, ſapientiæ fon tem, & eloquentiæ flumen, uel potius fulmen; & meritò habendum, & iure prædicandum, non ego, ſed orbis approbat uniuerſus: uerùm (ut ad Iurisperitiam, unde diuerterat, noſtra conuertatur oratio) hæc & aliis, & poſſeſſoribus prodeſt. nam Iuriſconſulti ſunt Regum Reges, & Imperatorum Imperatores. his conſulentibus maximi Duces parent. his ſunt Principum à ſecretis. his Rerumpublicarum claues, illum maximarum arbitria, ciuitatum rectoratus, prouinciarũ proconſulatus, Regnorum magiſtratus, Imperiorũ adminiſtrationes, et Mundi deniq; moderamen offertur: ad hos, tanquã ad ſpirantia oracula cõfluunt gentes. ab his turba, & Princeps ore ſupplici petit, & pectore intimo condit conſilia: ergo ſi puer, aut iuuenis es, accede ad ſcientiam. hinc enim habeas, unde inſtruaris ad uitam. ſi ſenex, aut decrepitus es, accede ad ſcientiam. hinc enim accipias, unde accingaris ad mortẽ. ſi pauper es, accede ad ſcientiam. hinc enim addiſcas, quomodò diuitias pares. ſi diues es, accede ad ſcientiam. hinc enim haurias, quomodò parata conſerues. ſi deformis es, accede ad ſcientiam. hæc enim dabit, unde formoſus fias, ea ſcilicet forma, quam nec ætas imminuat, nec morbus abſcondat, nec mors eripiat. ſi formoſus es, accede ad ſcientiam. hæc enim tribuet, unde formoſior ſis, & pul

Fructus Iuriſconſultorum.

Omnes ad ſciẽtiam inuitãtur.

chro è corpore, pulchrior uirtus egrediatur. ſi ex populi numero es, accede ad ſcientiam. hinc enim diſcas, quomodo principi pareas, & te gubernandum præbeas. ſi ex ordine principum es, accede ad ſcientiam. hinc enim promas; quomodo populo iubeas, & te gubernatorem exhibeas. ſi belli dux, accede ad ſcientiam. hæc enim conſulet; quomodo locum eligas, machinas erigas, tempus, & hoſtes offendas; & tuos, tuorumq; bona defendas. ſi pacis es auſpex, accede ad ſcientiam. hæc enim præſcribet quomodo pacem des; datam accipias, & acceptam cuſtodias. & denique quiſquis es; ad ſcientiam accede. nulla enim eſt in orbe fortuna, quam non adiuuet literarum glorioſa notitia: Et quoniam honos alit artes; et ſuis gloria facibus accedit ad ſtudia; utilitati accedit honor: O ineffabilem dulcedinem, o incredibilem lætitiam, o incogitabile gaudium, quando poſt peracta ſtudia, poſt tolleratos labores, iam iuuenis, iam uir, iam te formoſior ipſo; Honore onuſtus, literarum mercibus oneratus, & à conciuibus tuis te collaudantibus, & comitantibus honoratus, diu ſuſpiratam redis in patriam. et patrem, quem tua ſpes aluit, matrem, cui tacitum pertentant gaudia pectus, fratres et ſorores, luce magis dilectos, tui uidendi ieiunos, tuis honoribus hilares, in cõplexus, et in oſcula tua ruentes aſpicis, et amicos tuos, tibi gratulãtes, et ſibi gaudentes, et inimicos, tibi inuidẽtes, & ſe torquentes intueris: uiuis in terra honos impenditur ſingularis, defunctis in tumulo, immo in cælo lumen paratur æternum. non qualia in tumulis parabat antiquitas, quorum aliquot Hadria antiquiſſima, et patria mea uidit, et mirata eſt, quæ perpetuo uiuunt. ſed quũprimum admittunt aerem, extinguũtur: at Virtus poſſeſſori ſuo inextinguibile lumen accendit, & omnibus uidendum exaltat. ſapientum

Honor et ſciẽtiæ.

plentũ cadauera corrumpũtur. at nomen, ſama, ueluti ſale, aut balſamo cõditum corruptioni reſiſtit, & fulgeſcit in dies: Sed quia rem oculis ſubieciſſe nõ ſufficit, niſi facilitas quoq; ſubiiciatur; natura, fortuna, ætas, indoles ueſtra, & humanitas aliena cõplanant uobis callem apertum et ſpatioſum, & conſternunt uobis uiam facilem, & expeditam ad ſtudia. ut aues ad uolatum, piſces ad natatum, & feras ad curſum, ita homines ad ſcientiã gignit Natura. quàm facile eſt aui uolare, piſci natare, & feræ currere, tam facile eſt homini diſcere, ad quod animo rapiente fertur, & quod, natura ſuggerente, deſiderat. propitia fauet fortuna. quoniam præter cætera commoda doctiſſimos, ac diligentiſſimos doctores, impreſſores, & impreſſorum codicum ſupellectilem habetis, quam fruſtrà optauit, immo non optauit, quia nõ agnouit antiquitas. florens aptatur ætas. quando ergo ſtudendũ eſt, niſi nunc, quum ætatis flos uernus uiret? ueſtra uos compellit indoles. linguam noſtram imbibunt aues, mores noſtros induunt feræ. quid de uobis ergo ſperandum, Iuuenes clariſſimi, qui ſpem uultibus tantam præfertis, et tantam de uobis expectationem ſpondetis? aliena uos excipit & complexatur humanitas. at quorum humanitas? humanitas Patrum Bononienſium, qui (quo faciliore decurſu inflammata iuuentus ad metam pertingat optatam) toto nixu ſtudent, ut quibuſcunq; precibus, promiſſis, ac præmiis, uiros ſcientiis clariores in gymnaſium ſuum inducant. & ſi claros unquã induxerunt, nunc clariſſimos habent: Vos igitur labori accingite, adoleſcentes ingenui (uobiſcũ enim totus mihi nunc ſermo eſt) nulla ſine uigilia uos aurora, nulla ſine linea dies, nullus ſine lucro aliquo uirtutis uos ueſper inueniat. uirtus eſt triticum, cuius culmi in laboris area teruntur. uirtus eſt

Facilitas in diſcendo.

Hortatio, & cõcluſio.

ſol, cuius aurora labor eſt. uirtus eſt arbor, quæ fructum
non fert, niſi ſudoris hymbribus irrigetur. uirtus eſt ar-
dea, aut aquila, alta, atq; ardua habitans: ad hanc aſcendere
affectanti ſcalam parat labor. laboris cauſſam, immo labo
ris effectum in labore cogitate, ut præmiĳ ſpes, laboris ama-
ritudinem condiat, duritiem frangat, rigorem temperet,
ex terræ uiſceribus aurum, ex conchis margaritæ, ex ſpi-
nis roſæ, ex paleis tritica, ex putaminibus nuclei, ex apibus
mella, ex oſsibus medullæ, ex ſilicibus ignes, ex laboribus
uirtutes eliciuntur. ſulco attritus ſplendeſcit uomer, uome-
re ſaucia fructificat terra, ſilice excuſus micat ignis, igne
probatum fulget aurum, labore malleatum lucet ingenium:
nullus tam ſterilis ager, nullus tam durus animus, quem nō
iugis, ac diligens cultura fæcundet. nemo eſt, qui ſtudio non
acquirat. nihil eſt, quod ſtudio non acquiratur. nihil eſt tam
difficile, quod non tandem ferreus ac indefeſſus uolentis la-
bor peruincat. nil tam altum, quod non attingat. nil tam ar
duum, quod non ſuperet. nil tam abditum, quod non eruat.
nil tam durum, quod non frangat. nil tan rigidum, quod nō
flectat. nil tam occultū, quod nō inueſtiget. nil tam inextri
cabile, quod non extricet: exibilatur exploditurq; uenator,
qui primo mane magno apparatu ſiluas ingreditur, et ſub
noctem ſinè præda in urbem reuertitur: nec teneram excu-
ſetis ætatem. iſta enim ætate, iam Aeſculapius defunctos
reuocabat in uitam. iſta ætate, iam Tales Mileſius Philo-
ſophi titulum promeruerat. iſta ætate, iam Alexander,
ſub quo militaturus erat orbis, Ariſtotele tradente, ſub
ſcientĳs militauerat. militate ſub uirtute, quæ ſplēdidiſsima
dat ſtipendia. nubat uobis uirtus, quæ tot, ac tātis ornata do-
tibus in thalamos ueſtros ueniet. eccè geminæ uiæ, uolupta-

tis, ac uirtutis. uos Hercules eſtis. Herculis electionem imitamini. eccè mons idæus hic. eccè Minerua, Iuno, & Venus in ueſtrum deſcendunt arbitrium. eſtote Paride iudices æquiores. non Venus, non Iuno, ſed Minerua cæteris præponatur. quæ nunc neſcitis, in adoleſcentia ab alijs diſcite, ut quæ didiceritis, in iuuentute uobis exerceatis, & quæ exercueritis, in ſenectute, alios doceatis. ut quæ ab alijs adoleſcẽtia ſedula hauſerit in alios ſenectus copioſa refundat: & quæ à multis nunc mutuemini, plurimis mox mutuetis: agitè, aſſurgite, additis hinc pudoris, hinc honoris geminum calcar ingenio. eia, enitimini, excitate uosipſos, laborate, lectitate, librate, lucubrate, moras generoſo celeriter rumpite impetu, acerrimo ſpiritu difficultates euincite, & profundo paſſu altum iter ingredimini, ut labor ueſter in quietem, & ueſtrorum ſpes uertatur in gaudium. ut adoleſcentes laudemini, uiri ornemini, ſenes honoremini, decrepiti lætemini, defuncti celebremini, ſepulti uiuatis. ut parentibus gaudium, cognatis auxilium, præceptoribus lætitiam, amicis conſolationem, uobis famam, familiæ decus, & patriæ gloriam afferatis: Reliquũ eſt, ut ijs, qui me tanto onere, uel potius honore decorarunt; qui mihi orationem hoc anno, hoc in Gymnaſio publicè habendam concedere, conceſſam confirmare & confirmatam audire dignati ſunt; gratias immortales agam. & me, & hic, & ubicunque ſim, & nunc, & quotieſcunq; ſit opus, eorum, non nutibus, quos uidere nequeo, ſed iuſſis, quæ audire poſſum, perpetuò paratum pollicear.

Dicebam.

Typographi lapſus corrigendi.

Pag. 2. b linea 2. adoloſcentes: adoleſcentes:
pag. 3. b l. 12. ſpeeulo, ſpeculo,
pag. 3 b l. 16 Perſiœ magis, Perſiæ Magis,
pag. 5. a l. 3 de aurato deaurato
pag. 5 a l: 8 proto geuſti. protogeuſti.
pag. 5 a l. 10 p auo. pauo.
pag. 6 b l. 21 pronuncia, pronunciat,
pag. 6 b l: 23 diſcidentes diſsidentes
pag. 7 a l. 17 ehariſsima chariſsima
pag. 7 a l. 18 ſoboleſin. ſoboles in
pag. 7 a l. 30 caſsigat. caſtigat.
pag. 7 b l. 21 eſturbibus,quod compago clementorũ
eſt vrbibus,quod compago elementorũ
pag. 8 a l. 22 Marcum Antoniũ Marcumantoniũ
pag. 9 b l. 6 elgibus legibus
pag. 11 b l. 19 tan rigidum, tam rigidum,
Alicubi grauis accentus pro acuto, qui deerat.

Cæteros prudens corrigat lector.

99 956660